Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cionem pater nullatenus acquiescere voluit.
quia patris virginis potens et illustris
adolescens fuit. Cumque iterum atque iterum
peteret. et ipse cum iuramento nega-
ret. sancta Ita spiritus sancti consolacione
repleta prophetavit dicens. Permitti-
te patrem meum interim voluntati
sue. quia dominus meus Iesus Christus post
hoc compellet eum omnimodis obedi-
re voluntati mee. videlicet tam ad
eundum quo placuerit. quam ad in-
tendendum quod libuerit. Post hec tri-
duanis ieiuniis multisque vigi-
liis exercitata. et cum diabolo visibi-
liter agonizata. coegit eum tristem
profiteri futura ecclesie dei magna-
lia. et sua lugubri voce congri-
tamina. Dixit enim recedens ab illa.
Heu quanta detrimenta passurus sum
non solum tui amissione o Ita. sed eciam
multorum quos Christo lucraberis per sa-
lutaria monita. Nec mora secu-
ta est. cum angelus domini in visione noctis
apparuit patri sancte Ite dicens ei. Cur
prohibes filiam tuam signaculum virgi-
nitatis accipere. Magna enim coram
domino erit. multorumque salvandorum
in die iudicii ductrix apparebit. Dabis
igitur ei licenciam non solum vexillum in-
tegritatis assumendi. sed eciam in aliam
regionem prout deus disposuit in sinu
ipsius proficiscendi. Erit enim sarra idest
princeps gentis sibi adherentis. His
auditis pater non solum dedit optatam
licenciam. sed eciam suasit ei protinus
anulo Christi subarrari. et longius a do-
mesticis suis segregatam eidem spon-
so suo famulari. Premisso itaque
triduano ieiunio. divinis sponsa-
libus munita et ornata est beatissima

virgo. Verum cum iter ageret ut tantum
decus perciperet. obviam habuit multi-
tudinem demonum atrociter eam im-
pugnancium. et a proposito revocare
temptancium. Sed deo gracias qui dedit
ei victoriam per Iesum Christum dominum. cuius
arrabonem acceperat. missis ei de celo
angelis qui fortiter eam defenden-
tes turres fuerunt fortitudinis. De-
mumque victi demones. eiulatu mag-
no lamentati sunt dicentes. Ve nobis
quia nichil abhinc habebimus va-
loris contra virtutem huius virginis. quin
pocius ipsa nobis prevalebit. et multorum
nos amissione torquebit. Sed et inter
sacerdotales benedictiones et virginales
trepidaciones. angelice visionis
non defuere consolaciones. Denique
beata virgo Ita effudit cor suum in preci-
bus domino. ut ostendere dignaretur ei
locum laboracionis et requiecionis in
ipso. Et ecce angelus domini astitit dicens
ei. Relicta in qua degis patria va-
de ad regionem que dicitur Huconil.
et manebis in occidentali plaga
eiusdem regionis iuxta radices mon-
tis Luachra quousque nuncius domini te
invisat. et predestinate habitacionis
atque ad Christum migracionis locum tibi
ostendat. Ibi enim civitatem habebis.
et gentis Huconil una cum sancto Sena-
no donante deo domina eris. Hac an-
geli tuba Christi bellatrix excitata in
premonstratam regionem abiit. pedemque
prenominati montis insedit. Nec mora
celestis metator advenit. et locum
virginalibus castris divinitus preelectum
strennue ductrici designavit. Ex tunc
cepit ad eam multitudo virginum un-
dique confluere. et sub alis eius devoti